



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Mercurivs Mart. 24. Novembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

ostendit, distur-  
nium fa-  
AVDO. es com-  
s excu-  
n fugit,  
concessit  
ofectum  
ia alia  
morabile  
a celo  
stigavit  
erum A.  
imilem.  
per in-  
delecta-  
res cor-  
diaboli  
embris,  
os san-  
Caerites  
cupis,  
ata, &  
us tam  
e Ame-  
ias in-  
Christo  
ie pre-  
nuptias  
procur-  
Quid

Quid ageret captiva Christi nupta? precibus pu-  
gnat; cælum miraculis. Etenim cùm Olympius  
jam in exosa amoris vincula manus stringeret, obri-  
guere eousque hæ, dum castitati victas daret, &  
Christianam fidem cum totâ familiâ (centum erant  
& quinquaginta) amplecteretur, cujus pulchritudi-  
nem ingens, quod è cælo affulsit, lumen attonitis  
ostendit. Et jam ecce primus pro castitate & fide  
Olympius occumbit, ex Christi rivali parany-  
phus factus, habuitque socium tortorem non absi-  
mili miraculo sociatum. Sic præeuntem nōn invita-  
jam secuta est FIRMINA. Viam flagra stravere  
verberaque, &, quas inter expiravit, faces lateri  
admotæ. Itaque has etiam rectè nuptiales fuisse di-  
cemus. Ex Ferrar.

*Melius est habere malorum divortium, quam  
consortium; quia sicut bona multa habet laudabilis  
vita & conversatio sanctorum, sic plurima mala  
societas affert malorum, quam quicumque tenuerit,  
continentiam nunquam tenere valebit.* S. Laur.  
Iust. Lign. vit. c. 5.

S. MERCURIUS MART. 24. Novembris.

**A**vdete milites: non excludit vos cælum, si  
quam aliis vim etiam huic facitis. Fecit  
MERCURIUS, qui malè Decio primùm, sed benè  
post Christo militavit. Cùm enim in ipsâ acie de  
Angeli sui Tutelaribus manu gladium accepisset,  
quo hostium benè magnam partem trucidaverat,  
non moratus est sub illo deinceps mereri, qui op-  
timum stipendium certam victoriam numeraret,  
quam ille etiam contra Decium reportavit. Quid  
enim? Superi! quatuor palis alligatus, distractus-  
que, abstrahi tamen ad tyranni partes non potuit.  
Suspendum è capite saxum ipse pedes suspensus,  
B b velut

velut fascem suum generosus miles portavit. Sed neque ignes horruit, & plagas pro Christo etiam averfas adversas putavit. Exilium velut missionem accepit. Caput spiculatori velut Imperatori coronandum portexit. Illud in primis memorabile, quod MERCURII operâ, etiam cum in caelo jam ageret, VIRGO MATER sit usa. Nam ajunt D. Basilium ante VIRGINIS effigiem Iuliani impietatem accusasse, hanc capitis in tyrannum sententiam dixisse, & ad id ablegasse MERCURIVM; à quo ille confossus haustum è vulnere cruorem cum hâc impiâ voce in caelum ejaculatus sit: *Vixisti Galilee: rem omnem ab absente tunc Martyris hastâ & prostridie cruentâ proditam esse. Atque hoc puto etiam Sodalibus aurem vellicabit, quæ semper MATREM audit, etiam nonnumquam eam judicem esse. Ex Baron. & Metaphr.*

*Audes aperire os tuum, & in caelum juramenta atque blasphemias emittere? & non times ne forte falx ignea, quam Propheta vidit, demoretur in domo tua, & te excidat, qui sic audes aperire os adversus Deum, in quem Angeli non audent oculos conjicere? S. Ephrem paræn. 43.*

S. CATHARINA VIRG. & MART.  
25. Novembris:

**P**Alladem Christianam damus, CATHARINAM inquam, fortissimam virginem & sanctorum Musatum dignissimam Praesidem, non ægide aut hastâ mendaci, sed rotâ fractâ & lacteo gladio formosam. Ausa est hæc una ex omni Alexandria Diis sacrificantem Maximianum interpellare, stultitiæ quæ propalâam arguere, quin captiva cum quinquagenis Philosophis pro Christo in